1019.

VIII, 101. 88

S.

Exhibuit mihi legendas literas tuas mi Blaurere, ea parte qua Rudi-
moderatorem Friburgensem illi commendas. nec dubito quin citissime significet ille
tibi, quae sit spes nobis facta a Nobile quodam Marchionis Caroli Consilia-
rio: quae tamen si maxime falleret, quod vix mihi persuadeo, esset in manibus
mihi, unde optimo viro de conditione ipsi digna prospicerem. quippe qui ab Ottone
Heinricho Electore, serio interpellatus sum, ut si qua nobis sit eruditorum
atque bonorum Virorum copia, eius inde sublevem inopiam, quia in messe bona copio-
sa non perinde operariis se instructum esse admodum queritur piissimus Prin-
ceps. Sed forte consistere in loco vicino magis cupit. Veniat ergo, idque
quam primum. ut operam Christo praestet, cui sese addixit. De Emishemensi [?]
tyrannide, in ministrum ditionis Rapolsweilensis exercita audivisti indubie.
detineri dicit adhuc captivus ab officiali Episcopi Basil. in Altkilch, eo
quod impias conditiones iurare recusaret. Affligitur ergo Baro, et premit
altum mente dolorem, nec desunt tamen qui ipsius ut par est patrocinium
in optima causa suscepturi videantur. et siquidem processissent Comitia quae
suspensa dicuntur, ~~spes erat~~ spes erat de obtinenda libertate religionis
et in ~~[illegible]~~ ea, et aliis inferioribus dominiis. ~~D~~ Bavaricae nobilitatis
Constantia in petenda professione Evangelii, mirifice praedicatur a multis.
Verum quis eventus sit futurus mox ex Augusta me intellecturum
arbitror, id simulac accepero te mi Blaurere suavissime non celabo. Spiren-
ses et Hagenoa fruuntur Verbi euangelici praedicatione. Motus
inter Nassouensem et Hessum Electoris novi auspiciis composi-
tus est. et qui accurrebat utrimque miles in Austriam perget contra
Turcam militaturus. adeo in varia indignationis iustae significatione miseri-
cordiam tamen misera declarat Dominus. quae par sit tanto mitiore [?] studio
et pietate colere omnes. Ulmenses Erechto [?] et ceteris tuis concaptivis
ostium aperuerunt suae civitatis, ad quam eos postliminio vocant. ~~Sed~~
et provide quid sit ~~f~~ agendum. ex me petit per summam ~~[illegible]~~ magni [?]
suavitate consilium. quia non vulgaribus rationibus etiam ad consistendum
in eo quo nunc degit loco ducitur. Farellus miranda sollicitudine perpetu-

pro fratrib. in agro Montbelgardensi agentib. anxii, quia periculum metuunt, ne quid
reliqui ~~fiat~~ supsunt, ab ~~[illegible]~~ tuctorum sententia non aliena. et ipsi propositum tyrannice et
conuellatur Ecclesiae ordo et disciplina. Quare a me postulauit, ut operam interponerem
fidelem, quam ut debeo Ecclesiae et ipsis fratrib. ita non uidi qua ratione praestare, nisi prius
cognito penitus negotio et praesentis Ecclesiae statu. Primum autem commodissime oblatus mihi Hörklis
noster est, qui interrogatus pro suo candore placide respondit, sanctoque testatus est in bona pace
uersari omnia, fratres diligi a Principe et consiliariis. ~~tantum abest~~ ut de periculo non sit
ullo metuendum ipsis. modo ~~quod fouerunt~~ quam fouerunt pacem hactenus, porro fouere pergant.
Idem mox ex D. Schrotysen Licentiato rursum tuli. Postremo autem et ipsum Tossanum
atque Schradinum praesentes conueni, qui post multas querelas de sinistris suspicionib. et
calumniis quib. fuerint grauati, cogitare se et ad pacem et amicitiam fraternam compositos esse
testati sunt, et quantum in se sit, libenter declaraturos. In eo autem uidetur constans pax esse,
si quae desiderant in Ecclesiae constitutione, non ipsi priuata autoritate mutare ~~et~~ praesumant, sed
~~collatis~~ collato cum Antistitib. suis, et aliarum etiam ecclesiarum consilio, legitima ordinatione ad
Principem referant, ne propter externos ritus scindatur consensus Ecclesiae atque tranquillitas. Sed in
Vale in Christo Jesu cum tuis omnib. Basil. 24 April. Anno 1550.

S. Sulcerus

Geruasius ut ualeat, et quid agat, cupio rescire.
quem miror, ne semel quidem scripsisse ad nos.

Viro praestantiss. D. M.
Ambrosio Blaurero
suo in Christo
patri obseruantia
mihi colendissimo